

1168, Julio, 10. Alcántara.

Fernando II cambia a la iglesia y al arzobispo de Santiago las iglesias de Caldas de Cuntis y otras por la ciudad de Coria, que quería dar a la Orden del Temple. “Tumbo A de la catedral de Santiago de Manuel Lucas Álvarez”; “El 31 de Octubre de este mismo año, el rey Fernando II confirmó esta carta de cambio, estando en la ciudad de León. Documento redactado en el Tumbo B de esta misma catedral, con redacción diferente pero igual contenido.”

Quoniam mundus et omnia que sub celo sunt a regibus et imperatoribus secundario reguntur, non est rationi contrarium ut per ipsorum prouidentiam et potestatem res mundane aliquando commutentur uel in concambium ueniant. Inde siquidem est quod ego Fernandus, Dei gratia, rex Hispanorum, Adefonsi magni imperatoris et Berengarie imperatricis filius, proprio animo et uoluntate spontanea hoc scriptum concambiationis fieri mando uobis domno Petro, compostellane ecclesie secundo archiepiscopo, uestrisque successoribus canonice substituendis im perpetuum, de ecclesia Sancte Marie de Caldas de Contines et de toto meo regalengo quod ibi habeo uel habere deben ubicumque illud possit rep- / -perire, cum omni uoce et caracterio terre illius, cum aliis sex ecclesiis. uidelicet: Sancto Uereximo de Arcus, Sancto Michaeli de Causello, Sancto Mamete, Sancto Felice de Festucas, Sancta María de Truanes, et cum omnibus illis per que iste ecclesie continuantur cum Uelegia, ut iste ecclesie omnes amodo et usque in sempiternum de iure sint et dominio uestro et ecclesie Beati Iacobi absque ulla alicuius perturbatione, Has ecclesias et has terras cambio uobiscum et iure hereditario ob amorem Dei et beatissimi Iacobi apostoli patroni nostri, ut dictum est, sucessoribus semper habendas pro Cauria ciuitate, quam ego ipse uobis archiepiscopo domne Petre et ecclesie Beati Iacobi iure hereditario donaueram et legitimo scripto confirmaueram, adtendens et considerans fidelitatem uestram et obsequium quod mihi a puericia semper exhibuistis. Hanc autem urbem ego, ob remedium anime mee, militibus Templum Christi donauit; et uobis et ecclesie uestre de predicta complacuit commutatione.

Si uero in posterum, quod fieri minime credimus, aliquis scripti et commutationis huius firmitudinem temptauerit uel presumpserit infringere, VI. mille solidos uobis uel uocem ecclesie compostellane pulsantibus non moretur exsoluere, et in duplum cogatur restituere quod fuerit ausus attentare, et pro tanto excessu, excommunicationis a sancta matre ecclesie separatus, perpetuis incendiis in inferno cremetur.

Facta est hec commutationis et concambii scriptura apud Alcantaram de Ceyfe era l. cc. VI et quotum VI idus iulii.

Ego Fernandus Dei gratia rex Hispanorum conf.

Ego Hermengaudius, comes Urgelli, maiordomus domini regis, conf., Ego Garsias Romeu, comendator in Cephinis ex parte Ierosolimitani Templi cum fratribus templaribus, conf., Ego Didacus Fernandi de Castro Roda conf., Ego Garsias Ramiri. alferici regis, conf.

Ego Gunzaluus Ouetensis episcopus conf., Ego Petrus Salamantinus
episcopus conf., Ego Dominicus electus Ciuitatis Ruderici conf.